445

H

174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
ACTIONIBUS
EX
DOMINIO ORIUNDIS.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. ANTONII HULSII, S. Theol. D.
Ejuſdemque facultatis ut & Linguæ S. in Academia
Lugd.-Batavâ Profeſſoris, & Collegii Theol. PP.
DD. Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ord. Regentis.

NEC-NON

Ampliſſimi Senatus Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis Iuridicæ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS
conſequendo

Publico examini ſubjicit

JACOBUS van ZANEN, Flor. Fil. Lugd.-Batav.

Ad diem 14 Octobr. loco horaque ſolitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXIII.

KW 445 H. 174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

Viris Spectatiſſimis Digniſſimiſque

D. JACOBO DRABBE, Mercatori vigilantiſſimo.

D. ISAACO ARDINOIS.

NEC NON

Viro Ampliſſimo

D. JACOBO VAN ZANEN, Inclytæ hujus Urbis Senatori, nuper primario *ejuſdem* Judici, nuncque Cameræ pupillari Præfecto.

Huic per quartum cognationis; illis per ſecundum affinitatis gradum ſibi junctis: ob plurima amoris ac favoris τεκμήρια in perpetuum colendis, diligendis.

UT ET

Viris Excellentiſſimis

D. CHRISTOPHORO WITTICHIO, S.S. Theol. ac Phil. Doctori: hujus quondam in aliis Academ: illius verò nunc in Acad. Lugd. Batav. Profeſſori ordinario.

D. JOHANNI VOET, J. U. Doctori: ejuſque, ante hoc tempus in celeberrima Acad. Ultraj., nunc vero in laudata Acad. Lugd. Bat. Profeſſori ordinario, Promotori ſuo.

D. THEODORO CRAANEN, Phil. ac Medic. Doctori: illiuſque quondam, hujus autem nunc in d. Acad. Profeſſori ordinario.

D. BUCHERO DE VOLDER, Phil. ac Med. Doctori: illiuſque (ut & Matheſeos) in commemorata Acad. Profeſſori ordinario.

D. THEODORO RYCKIO, J. U. Doctori, inque eâdem Acad. Hiſtoriarum Profeſſori ordinario.

VIRIS. IN. SUIS. SCIENTIIS. SUBTILISSIMIS. SOLIDISSIMIS. ATQUE. IDCIRCO. NON. IGNOBILIBUS. SED. CLARISSIMIS. SED. CELEBERRIMIS. OMNIBUS. SUIS. PRÆCEPTORIBUS.

Quibus ob inæſtimabilia in ſe collata, ſimilia ſe debere profitetur: quibuſque, ne hocce ſui tempore recordandorum immemor videatur.

Hoc paucarum ſuarum virium, in gratiſſimi animi (ſi talis connexio detur!) ſymbolum

offert

JACOBUS van ZANEN.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

PROOEMIUM.

Cum priſtini mortales ex corruptæ naturæ ſuæ primo, ſibi exitiabili, ſtatu, evaſerant, & ex illis (ut dicam) juribus & poteſtatibus, quibus ſeſe ultro abdicaverant, unam aliquam erigentes, Societatem Civilem inierant, quam ſibi perſpicuè conceperant feliciorem; manſerunt nihilominus inter ipſos, ſuorum invicem intuitu, precariò quædam rerum dominia, eorumque transferendorum modi; manſerunt pacta, ad quorum placita ſibi invicem præſtanda, utpote ſubjecti alicui ſummæ voluntati, urgeri poterant, atque ita, ſalvo, hoc modo, jure (ut vocant DD.) in re, & ad rem, remedia quædam, rectæ rationi non incongrua, ab illa majeſtate fuerunt recepta, ad hoc illudve, ſi cui eſſet comparatum, legitimo modo perſequendum: quæ remedia à jure noſtro Civili Actiones fuere appellata. Hæ autem actiones quomodo conſtituant præcipuam & maximam, laudati jam juris, partem, vel ex eo liquet, quod terſiſſimi etiam Iuriſconſulti affirmare non dubitaverint, dignum illum eſſe in Iure honore Doctoratus, qui vel unum illum titulum de Actionibus ſibi ſatis haberet perſpectum: nec ſane mirum, cum non ſit incognitum ulli juris Civilis cultori, quod in per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

ſcrutanda natura & indole, tam generali omnium, quam ſpeciali ſingularum actionum paſſim digredi debuerit ad alia infinita, ipſis per vinculum ratiocinii conjuncta atque connexa. Igitur nobis, conantibus ſecundum modum in Academiis, circa promotiones, receptum, aliquam, pro tenuitate noſtra, explanatam materiam publicæ diſquiſitioni ſubmittere, huncque in finem contemplantibus ſpecialem multarum Actionum naturam, arriſit indoles Actionum ex dominio; vel, quia ejus materiæ elegantia, ſi non magnam, ſaltem præ ſe aliquam ferebat fertilitatem; vel quia non tanta nobis erat virium noſtrarum fiducia, ut, ſuper invento forſitan alio lemmate, non tam vulgari, multa inaudita nos prolaturos, putaremus; interim tamen, jactando fortè, eandem nunquam antea ab alio tractatam, nobis ipſis nimium indulgentes. Vt ergo, quatenus per noſtram imbecillitatem fieri poſſit, recte ſcopum noſtrum aggrediamur, attenti ſimus oportet, ne ſaltem omnis nobis deſit methodi ratio, utque primò, quid ſit dominium, & ſecundo quotuplex ſit; determinemus: deinde, quænam ex ſingulis ſpeciebus Actiones noſcantur, & tandem harum proprietates omnes deſcribamus.

Quæ, ut proſpere ſuccedant, adſit
D. O. M.

DIS-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
ACTIONIBUS
EX
DOMINIO ORIUNDIS.

CAPUT I.

Pro inſtituti noſtri ratione ſuſcepimus primo explicationem vocabuli *Dominii:* quod ſine dubio originem ſuam habet à domo, mediante vocabulo domino, per quem veteres intellexerunt eum, qui gaudebat illo vulgari jure in ſuam domum, ſive familiam; patrem videlicet familias, qui inde dicitur alibi *Dominus major: major*, reſpectu liberorum ſuorum.

Et inde Cicero[a], *odioſum eſt, cum à prætereuntibus dicitur, ô domus antiqua, heu, quam diſpari domino dominaris!* ab hoc ergo genuino ſenſu vocabulum hoc tranſlatum ad alios: & quidem in jure noſtro in triplici fuit uſurpatum; primò in latiſſimo atque uberrimo, deinde in ſtrictiori, denique in ſtrictiſſimo ſenſu.

Priori modo accipitur pro quavis ſuperioritate: quali modo Imp. Antoninus dominium mundi ſibi vindicabat.[b]

Secundo modo accipitur pro quolibet jure, quod quis habet in re (non quod nullo modo poſſet ſano ſenſu dici dominium juris ad rem, quod quidem alibi[c] inter bona numeratur, ſed quod ita non

a *Cic. lib.* 1. *de offic.*

b *in l.* 9. *ff. ad Leg. Rhod. de jact.*

c *l.* 49. *in fin. ff. de V. S.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

non loquantur Juriſconſulti veteres, dum illa, quæ ſunt in perſecutionibus (quomodo tantum appellantur actiones perſonales[d]) expreſſe ſegregant ab illis quæ ſunt dominii[e]) & inde alibi mentio fit de dominio quodam poſſeſſionis, ſerviturisve[f]. Ultimo denique modo accipitur multò ſtrictius pro ea ſpecie juris in re, quæ nomine proprietatis alias venit, atque definitur, quod ſit jus, quo res eſt noſtra, ſive, quo libere de re ſtatuere, eam poſſeſſam exceptione tueri, eam amiſſam vindicare poſſumus: atque ut hujus juris perfectio ac eſſentia vehementius ac fortuis exprimatur, hinc fit, quod nonnunquam vocetur dominium proprietatis[g], (cum ſufficiſſet alterutrum) nonnunquam jus dominii[h], ſæpe jus plenum[i].

d arg. §. 2. Inſt. quib. mod. toll. obl.
e d. l. 49. ibi: non ſolum quæ dominii ſunt.
f vid. l. 2. C. ubi in rem act. l. 15. §. 8. ff. quod vi aut clam. l. 3. ff. ſi uſusfr. petet.
g l. 66. ff. de jur. dot.
h l. 7. C. de pact. int. empt. & vendit.
i l. 11. C. de Act. empt. l. 17. in fin. ff. de R. V.

Cap. II.

Diſtinctiones, ſeu diviſiones dominii variæ ocurrunt apud Interpretes: de quibus, ne minis prolixi hic ſimus, omittemus nonnullas, de ea ſolummodo, quæ hìc abeſſe nequit, commemoraturi: Hæcque illa eſt, qua dominium, conſideratum tanquam ſuo modo juſtè acquiſitum, diſtribuitur in plenum & minus plenum: illud dicunt, cum quis rei alicujus non tantum habet proprietatem ſed & utilitatem: hoc vocant cum quis alterutrum tantum habet: atque hæc diſtinctio elicitur partim directò & expreſſè, partim per deductionem, ſive utiliter (ut ajunt) ex multis legibus[a]: minus plenum iterum diſpeſcunt in directum, cum quis rei proprietatem, & utile, cum quis rei utilitatem tantum habet; atque huic diſtinctioni anſam dat Ictus Paulus[b]: & licet vocabula hæc ibi, nec in aliis locis inveniantur; rem tamen ipſam illic inveniri, attendenti eſt manifeſtum.

a ex l. 17. ff. quib. mod. uſusfr. amitt. l. 126. §. 1. ff. de V. O. l. 11. C. de act. empt.
b in d. l. 17. quib. mod. uſusfr. amitt.

Cap. III.

Lex methodi noſtræ aſſumptæ porrò vult, ut enumeremus ordine omnes Actiones, *Dominio* originem ſuam debentes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

Harum prima eſt Rei-vindicatio, & quidem directa ex dominio pleno & minus pleno directo, veluti quod competit dominis feudi & emphyteuſeos: utilis vero, ex utili dominio minus pleno, veluti quod eſt emphyteutis & vaſallis. Deinde ex dominio ficto Prætor Publicius largitur actiones Publicianam & reſciſſoriam. Denique idem Prætor ex eodem fonte tres actiones in rem præjudiciales concedit: quas 7. ſpecies deſcribere, & obvenientes difficultates amovere, noſtri nunc eſt negotii.

Cap. IV.

Rei vindicatio directa, eſt actio Civilis, in rem, quæ datur domino adverſus quemcunque poſſeſſorem, utiliter etiam contra eum, qui dolo poſſidere deſiit, etiam contra eum qui liti ſe obtulit, ad eum finem, ut Actor declaretur dominus, & Reus per conſequens cogatur rem reſtituere cum omnibus fructibus & acceſſionibus.

Dicitur *Rei vindicatio.* Quæ hic nihil aliud eſt, quam rei, quam adverſarius ſuam eſſe intendit, adſertio, liberatio, repetitio (quæ qnomodo olim fiebat per manus conſertiones, videre eſt apud Gellium[a]) cum alias vindicationis nomen cuilibet actioni reali ſoleat attribui[b].

Dr. *Actio Civilis*, deſcendens quippe ex l. 12. Tabb.[c]

Dr. *In rem.* Quod jus in re & ad rem ſint unica norma, ſecundum quam determinatur, quod actio aliqua ſit in rem vel in perſonam, patet[d]: Quod autem hæc actio naſcatur ex jure in re, apparet ex eo; quod, cum dominium ſit jus in re[e], oriatur ex dominio[f]: unde hæc actio alibi[g] appellatur lis dominii.

Dr. *qua datur domino*,[h] & quidem domino, qua domino, id eſt, quatenus ipſi, non perſona quæpiam obligata, ſed res per ſummum illud jus eſt devincta; cum alias ſæpè etiam actio perſonalis detur domino, ſed non qua domino, ſed qua perſonæ, cui debetur aliquid per vinculum obligationis, veluti commodanti, deponenti, debitori &c. unde hi quoque non contendunt rem eſſe ſuam, quod ſit in Rei vindicatione[i].

a *Noct. Attic. lib. 20. cap. 10.*
b §. 15. *Inſt. de Act.*
c *teſt. Gell. dict. loc.*
d *ex* §. 1. *Inſt. de Act.*
e *l.* 3. §. 12. *ff. ad exhib.*
f *l. 23. in princ. ff. de R. V.*
g *l. 18. princ. ff. de uſur.*
h *arg. d. l. 23. de R. V.*
i *arg. t. t. de R. V.*

Cum

Cum autem omne fundamentum in hac actione ſit illud *ſuum*, neceſſum eſt, ut actor rem ſuam eſſe demonſtret.[k] (quibus modis vero aliquid alicujus ſit, de eo alibi agitur.[l]) atque ad id judex neceſſariò in hac actione debet attendere, præcipiente Ulp.[m], adeo ut, ſi in eo deficiat actor, reum teneatur abſolvere[n], nec intereſt, an actor demonſtret, ſe dominium acquiſiviſſe modo juris Gentium, an vero Civ. Nec obeſt ipſi, quod ſperet dominium à ſe abiturum[o]. Nec reus abſolvetur, etiamſi actor dominium rei petitæ tum demum acquirat cum res eſt judicanda[q]. Nec obſtat Regula juris 29, quæ (præterquam quod ſit regula, eoque ipſo ipſius conditor non potuerit ad omnia reſpexiſſe) de talibus vitioſis id ſtatuit, ut illud ad noſtrum caſum non poſſit applicari: (illorum exempla conſpiciuntur in quibuſdam locis[r]) nam in noſtro caſu convaleſcentia illa non ita fit in fraudem ipſius legis, ſicut quidem fieret in dd. ll.: ipſo jure enim non eſt vitioſum, quod quis petat rem, quæ ad ſe non pertinet, ſed ad minimum debet factum hominis, ſcil. ſententia judicis, accedere, quæ ipſi inculcet, ſe, dominium non probantem, vitioſe rem petiiſſe.

Dr. *adverſus quemcunque poſſeſſorem.* Ut adeo ex hiſce omnibus jam conſtet, quod à parte Actoris requiratur dominium, & à parte rei poſſeſſio.

Dr. *utiliter*: videlicet non ex expreſſis verbis legis 12. Tabb. ſed ex ejus ſententia, mente, & ratione. Ita jam veteres vocabulum *utilitatis* uſurparant pro æquitate, dum illud à Paullo [s], & ab Ulpiano[t], una cum æquitate[u], ſtricto juri opponitur.

Dr. *contra eum, qui dolo poſſidere deſiit*[x]. Dolus enim ex mente Juriſconſultorum eſt pro poſſeſſione[y].

Dr. *etiam contra eum, qui liti ſe obtulit*[z]. Liti ſe offerre hic dicitur ille, qui, cum rem non poſſidet, ſimulat tamen ejus poſſeſſionem, ſicque ſeſe intricat liti, ſine cauſſa[a]. Hic, ſi nunquam volenti & contumaci fiat injuria, merito condemnatur[b].

Dr. *ut actor declaretur dominus.* Poſtulans videlicet, non, ut dominum in ſe transferatur, (nam hoc ſupponeret, eum non eſſe dominum) ſed ut dominus coram omnibus, & præſertim reo, declaretur.

Dr. & *Reus per conſequens cogatur rem reſtituere.* Notandum tamen eſt, quod, quoniam hæ probationes dominiorum non

ſemper

k *l.9. de R.V.*
l *tit. Inſt. de rer. diviſ. l.20. C. de pact. l.20. de A. R. D. & in aliis locis.*
m *in d. l.9. in princ.*
n *arg. l.4. C. de edend.*
o *arg. l.23. ff. h. t.*
p *l.66. ff. h.*
q *Quod per indirectum collige ex l. 27. §. 1. ff. h. vid. quoque l. 27. ff. mandat. l.56. de Iudic. l.9. §. ult. de pignor. act. l.11. qui ſatiſd. cog.*
r *in §. 1. Inſt. quib. non eſt. perm. fac. teſt. §. 2. Inſtit. de inutil. ſtipul.*
s *in l.20. ff. de ſervit. præd. urb.*
t *in l. 19. in fin. ff. de judic.*
u *in l.8 C. de judic. & l. 1. C. de ll. l.4. ff. de eo quod cert. loc.*
x *l.68. 69. ff. h.*
y *l.131. l.157. §. 1. ff. de R. I.*
z *arg. l. 25. ff. de R. V.*
a *ut ait. d. l. 25.*
b *ex d. l. 25.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

ſemper in ſe veritatem infallibilem continent, utpote quæ obtinent inter homines in rebus agendis, ubi fundamenta ex quibus veritates deducuntur, non ſunt omni exceptione majora, ſæpe fieri poſſit, quod actor videatur probaſſe ſuum dominium & revera tamen non probaverit: quo caſu, ſi reus demonſtret intentionem actoris non conſtitiſſe, condemnabitur Actor[d]:

Dr. *cum omnibus fructibus & acceſſionibus.* Quod juſtiſſimum, dum Actor, ſi nemo jus ſuum turbaſſet, hoc emolumentum omne fuiſſet percepturus. Sed gravis hac occaſione agitari ſolet quæſtio, quomodo & quatenus habeatur ratio b. & m. f. poſſeſſoris circa fructus?

Quid ſint fructus, & quomodo dividantur in naturales & Civiles; & naturales iterum in merè naturales & induſtriales, notiſſimum eſt. Quær. nunc quomodo hic conſideretur b. f. poſſeſſor? & Reſp. quod ille omnes omnino fructus, tam naturales ſimpliciter, quam naturales & induſtriales, tam conſumptos quam exſtantes, percipiendo, id eſt de ſolo ſeparando, faciat ſuos[e]: & quidem exſtantes ſive naturales ſive induſtriales, dominio, non perpetuo, ſed revocabili[f].

Sed aliud obtinet in fructibus conſumptis: ibi diſtinguitur inter naturales & induſtriales: hos jure pleniſſimo & irrevocabili facit ſuos, ſed illorum nomine poteſt efficaciter conveniri[g].

Circa malæ f. autem poſſeſſorem res ſeſe longe alio modo habet, qui nullos nullo modo ſuos facit, ſed tenetur omnes reddere.[h]

d *arg. l.* 16. *C. de probat.*

e *ſecundum l.* 48. *ff. de adquir. rer. dom.* §. 35. *Inſt. de R. D.*

f *arg. l.* 42. *ff. h. l.* 48. *de A. R. D. ibi* interim, *id eſt donec à domino tanquam ex re ſua ſuperexiſtentes erunt vindicati. d. l.* 42. *vid. l.* 4. §. 2. *ff. fin. regund. ibi*, Si eos conſumpſit. §. 2. *Inſt. de offic. jud. ibi:* neque conſumptorum. *l.* 22. *C. h. ibi:* exſtantes. *l.* 40. *in fin. ff. de A. R. D. ibi:* conſumptos.

g §. 36. *Inſt. de R. D, l.* 45. *ff. de uſur.*

h §. 35. *Inſt. de R. D. l.* 22. *C. de R. V.*

CAP. V.

Tantum de directa, ſequitur utilis Reivindicatio, quæ dupliciter ſumitur: primò, quæ datur ex legis ratione procuratoribus in rem ſuam, vulgo, Ceſſionariis, & ſimilibus[a], aliquando uxori[b], pupillo quandoque[c]: ſecundò quæ datur ex dominio

a *l. fin. C. de hered. vel act. vend.*

b *l.* 55. *ff de donat. ut vir. & uxor.*

c *l,* 2. *ff. quand. ex fact. tut. vid. quoque l.* 9. §. 2. *ff. de A. R. D.*

utili, dicto jam modo, veluti quod habent Emphiteuticarius, & vaſullus [d].

Cap. VI.

Poſt hanc actionem examinanda venit actio Publiciana, in rem, quæ datur illis, qui bona fide, & titulo ad transferendum dominium idoneo poſſederunt rem, ſibi à non domino traditam, contra quemcunque poſſeſſorem, infirmius jus habentem, ut rem reſtituat.

Dicitur *Publiciana.* De qua in §. 4. Inſt. de Act. agitur, quæ à Prætore Publicio [a], ita per excellentiam appellatur, cum alias actio contraria, reſciſſoria, etiam quandoque ita dici ſoleat [b].

Dr. *in rem.* Naſcitur enim ex dominio quodam à prætore ficto, acquiſito per fictam uſucapionem, (alterum modum acquirendi Juris Civ. ex pactis & contractibus [c]) dum actor hic dicit ſe rem uſucepiſſe, quam revera non uſucepit [d]. Nec obſt. quod Prætor non poſſit facere dominum, ſicuti non verum heredem [e]: non enim hic Prætor b. f. poſſeſſorem facit dominum verum, ſed habet eatenus pro domino, ut ipſi concedat hanc vindicationem contra jure imbecilliori gaudentes: ita ut quidem mitius loquerentur, qui dicerent, Prætorem huic poſſeſſori concedere aliquod jus, cui tribuit hunc effectum.

Dr. *Datur illis, qui bona fide & titulo ad transſerendum dominium idoneo poſſederunt rem*: ut conſtaret, requiri, ut hic fuerit verè poſſeſſor, (nec obſt. l. 15. ff. de Publ. in rem act. quæ intelligenda de poſſeſſione naturali, corporali videlicet, quæ per ſervum fugitivum non acquiritur: ſed nihilominus per illum acquiritur poſſeſſio, quatenus ea pro Civili poſſeſſione ſumitur, dum videl. dominus iſtum ſervum tali modo poſſidet *, quæ differentia clare patet [f], adeo ut in d. l. 15. Publiciana nihilominus detur vero poſſeſſori) & quidem in conditione uſucapiendi [g].

Quær. autem an, ſi mala fides ſuperveniat, nihilominus poſſeſſor gaviſſurus ſit Publiciana? & ſtatuimus, quod tamen gaudeat, primo [h], ſecundò, quia hic poteſt uſucapere [i]: qui autem poteſt uſucapere, poteſt agere Publiciana [k]. Sane videtur eo

caſi

---

d l. 2. §. ult. ff. ſi ag. vectig.

a d. §. 4.

b l. 35. in princ. ff. de O. & A. l. 57. ff. mand.

c l. 20. C. de pact.

d d. §. 4.

e l. 2. ff. de bonor. poſſ.

* l. 1. §. 14. l. 23. in fin. princ. l. 15. in fin. ff. de A. vel O. Poſſ.

f in l. 10. C. de acq. & retin. poſſ.

g l. 7. §. 2. & §. 17. ff. h.

h arg. l. 7. §. 16. & 17. ff. h.

i l. 48. §. 1. ff. de A. R. D.

k d. l. 7. §. 2. & §. 17.

caſu rectius publiciana competere, quam occaſio uſucapiendi, dum hæc obſit etiam vero domino, illa nunquam. Denique, quia Actor, non obſtante mala fide ſuperveniente, nihilominus fortius Jus habet, quam Reus, ſecundum hypotheſin videlicet, qua hic ſupponimus eam non dari, niſi contra eum, qui gaudet jure debiliori, quam Actor.

Obſt. l. 11. §. 3. ff. h. Reſp. pro *experiar* legendum *pariat.*

De juſto titulo, qui hic requiritur, vid. [l]

Sed quær. an verus dominus poſſit gaudere hoc remedio? & rationes, cur non gauderet, non videmus [m]. An non hæc jure ad verum dominum, ubi ipſi deficiunt probationes dominii, & ideo quoque remedium principale, poſſunt applicari? non dubitem.

Dr. *ſibi à non domino traditam.* Supponit hoc [n], & dicta jam uſucapiendi conditio, quæ ſola hic requirebatur [o].

Dr. *contra quemcunque poſſeſſorem, infirmius jus habentem* [p]. Quibus autem modis infirmius jus habeat reus, vid. [q]

Dr. ut rem reſtituat. Dummodo res, quæ veniet in hanc actionem, ſit ad uſucapiendum habilis [r]. Nec obſt. l. 12. §. 2. ubi ſpeciale quid proponitur. Corporalis an in corporalis, nihil refert, adeoque & ſervitutes [ſ]: quarum ſaltem obtinuit longi temporis præſctiptio, olim non tantum [t], ſed & jure Codicis [u].

l *l.* 1. 2. 3. *ff. h.*
m *vid. l. ult. ibi*: potius. *l.* 1. §. 1. *ff. h. ibi*: nec deſiderat.
n §. 4. *Inſt. de Act. ibi*: & nec dum ejus rei dominus.
o *d. l.* 7. §. 2. *&* §. 17. *h. & l.* 9. §. 4. *eod.*
p *l. ult. in fin. h.*
q *in d. l. ult. in fin. & l.* 9. §. 4. *eod.*
r *l.* 9 §. hæc actio. *ff. eod.*
ſ *l.* 11. §. 1. *h.*
t *l.* 10 *ff. ſi ſervit. vindic.*
u *l.* 2. *C. de ſervit. & aq.*

CAP. VII.

Ab actione Publiciana progreditur Imp. Juſt. ad actionem reſciſſoriam, quippe non tantum ab eodem, ut veroſimile, Prætore, ſed & in caſu contrario, & ex ſimili æquitate datam. Agit autem de hac actione in §. 5. Inſt. de Act. circa quem notatu dignum, quod Tribon. ibi peccet primò in eo, quod ita hanc actionem deſcribat, ac ſi daretur in unum tantum caſum, quo ſcil. abſens per ſervos & alios, in poteſtate ſua conſtitutos, rem præſentis uſucepit, quaſi non daretur in caſum ſecundum, quo præſens rem abſentis uſucepit: ſecundo in eo, quod in deſcriptione iſtius caſus mentionem tantum de duabus faciat abſentiis, quaſi nulla alia hic locum haberet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

Eſt autem hæc actio Prætoria, in rem, reſciſſoria, quæ datur primo illi, cujus res per abſentem eſt uſucapta, dum præſens nullum defenſòrem loco abſentis potuit convenire: ſecundo etiam abſenti, cum res ejus à præſente eſſet uſucapta, advèrſus præſentem, ad hoc, ut reſcindatur uſucapio, & res, ac ſi nunquam uſucapta eſſet, cum omni cauſſa reſtituatur.

Dicitur *Prætoria*: & quidem, ut evidens eſt, ab eodem Prætore.

Dr. *in rem*. Naſcitur enim ex jure in re, dominio ſcil. ficto, id eſt præſuppoſito nunquam amiſſo [a]: non quod prætor poſſit fingere dominium, ubicunque vult, ſed quod hac in parte ſequatur veram rationem (quæ poſtulat, hunc actorem dominio ſuo non eſſe privatum) & à ſtricto Civili jure paullulum deflectat.

Nec putandum etiam cum ſinceritate vel generoſitate Romanorum conciliari poſſe id, quòd Tribon. de actore pronunciat in hac actione, ſaltem ſi id proprie vellemus ſumere: narrat [b] enim, Actorem in hac actione coram judice dicere ſolere, rem ſuam nunquam eſſe uſucaptam, quæ revera tamen erat uſucapta: ſi proprie hoc conſideraremus, qua ratione hoc ipſum de actore veroſimile appareret, cum illud mendacium potuiſſet à reo tam luculenter patefieri? ſed veroſimile eſt reum hic narraſſe id quod res erat, rem ſuam videlicet ſtricto jure uſucaptam quidem, ſed recta ratione non, ipſumque auctoritate Prætoris, eatenus intendiſſe, rem non eſſe uſucaptam, quatenus hanc rei ſuæ vindicationem, illo nomine adverſùs reum ſibi competere, demonſtravit: ita ut verba illa Triboniani reſpectivè ad effectum debeant intelligi.

Dr. *reſciſſoria*. Ita paſſim [c] appellatur, non quod ſequatur reſciſſionem, ſed quod illam ipſa contineat; ita ut hic uno & ſimplici judicio rem peragi putemus [d].

Dr. *datur illi cujus res per abſentem uſucapta eſt*. De hoc caſu expreſſè mentionem facit Imp. [e]; ſed in illo caſu tantum loquitur de probabili Reip. cauſſà, & neceſſaria per captivitatem abſentia: male! nam cur non voluntaria (malitioſa videlicet aut animi gratia) hic locum haberet? docet hoc vera ratio, cum

a d. §. 5. *Inſt. de Act.*

b d. §. 5.

c *vid. l. 28. §. ult. ff. ex quib. cauſſ. maj. l. 24. C. de R. V. l. 18. C. de poſt. rev.*

d *vid. l. 1. §. 1. l. 26. §. 7. ff. ex quib. cauſſ. major. vid. l. 24. C. de R. V. ubi hac actio habetur pro indirecta vindicatione. vid. §. 5. Inſtit. de Act. ibi:* reſciſſa uſucapione rem petere.

e *in d. §. 5. de Act.*

ne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

ne juſtiſſima quidem proſit abſentia[f], quod tum non alia minus juſta uſucapienti poſſit prodeſſe.

Dr. *dum præſens nullum defenſorem loco abſentis potuit convenire.* Atque ex hoc fonte ſolo pro domino rei æquitas hauritur: (quod *ip*ſum quoque argumentum eſt, quod hic nulla poſſit haberi ratio abſentiæ ipſius abſentis, quodque nihil interſit, quanam is abfuerit) atque adeo illud requiritur, ut, ſi abſens habuerit procuratorem domi aut amicum, qui ſe ultro obtulit defenſioni, ſique dominus rei eum non convenerit, re uſucapta, reſciſſio non concedatur[g].

Hac autem occaſione quærunt DD. an in dicto caſu ubi præſens non poteſt pro abſente alium convenire, Juſt. Imp. remedium in l. 2. C. de annal. except. propoſitum fecerit neceſſarium, ita ut, ſi præſens eo non utatur, non poſſit reſtitui, an vero tantum utile, ita ut, licet non utatur, poſſit nihilominus reſtitui? id eſt an remedium Pandectarum ſuſtulerit, nec ne? & putamus, quod per d. l. 2. ſuſtulerit: primò per d. l. 2. ibi: *ſed ſit aliqua inter deſides, & vigilantes differentia:* qualis nulla eſſet, ſi prius remedium ſupereſſet. Facit ſecundò, quod Imp. hoc commodiſſimum remedium dicto caſu introduxerit, in locum ejus remedii, quod præſenti competebat, cum defenſor ab abſente domi erat relictus[h]: Atqui in illo caſu demonſtratum jam eſt, dominum, qui non convenerat defenſorem domi relictum, poſtea non audiri[i]: ergo nunc, ſi dominus rei, cum defenſor relictus non eſt, non utatur remedio Juſtiniani, poſtea etiam ipſi aliud illud remedium non ſuppetit, dum ibi talem medelam introduxit Imp. domino rei, ut nullo modo ipſi deeſſe poſſit Juris ſui potiundi occaſio.

Dr. porro, *ſecundò etiam abſenti, cum res ejus à præſente eſſet uſucapta, adverſus præſentem.* De hoc caſu, ut dictum, Tribon: *k*; mentionem facit nullam: ſed quod nihilominus tum etiam locum habeat hæc actio, patet ex variis juris paginis[l]. Quærit. autem qualiſnam hic locum habeat abſentia? & licet ſæpius [m] mentio fiat abſentiæ Reip. cauſſa, id tamen, cum exempli gratia tantum fiat, non excludit aliam æque juſtam[n]; præſertim dum Prætor hac in re accuratè reſpicit ad juſtitiam cauſæ[o]. Procul hinc ergo arcenda eſt malitioſa[p].

Quær. autem, an, ut reſtitutio hic locum habeat, neceſſarium

f *d.* §. 5.

g *arg. l. 21. §. 2. l. 22. ff. d. t. ex quib. cauſ. maj.*

h *d. l. 2. ibi:* neminem tutorem vel curatorem &c.

i *d. l. 21. §. 2. l. 22. ff. h.*

k *in d.* §. 5.

l *ex l. 1. ff. ex quib. cauſ. maj. l. 18. C. de poſtlim. rev. l. 24. C. de R. V.*

m *vid. l. 29. l. 32. l. 39. l. 42. ff. ex quib. cauſ. maj.*

n *vid. l. 9. l. 26. in fin. l. 28. ff. eod.*

o *l. 26. §. 9. eod.*

p *d. l. 26. §. 9.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

rium ſit, ut abſens non conſtituerit procuratorem, an vero hoc plane ſit idem? & Reſp. quod debeat non conſtituiſſe procuratorem [q], cum alias habeat mandati actionem contra procuratorem; quod eſt remedium ordinarium: quod quamdiu ſupereſt, ceſſat confugium ad extraordinaria [r], quale eſt noſtrum reſtitutionis in integrum remedium [ſ]. Nec obſt. l. 26. §. ult. ex quib. cauſſ, quæ de caſu, quo procurator ſolvendo non eſt, vel culpa caret, intelligenda: & non mirum, quod tum non attendatur ad ordinarium remedium, cum actor per illud, ſuum non poſſit conſequi, & ſic ceſſet ratio regulæ [t]: atque ita errant, qui ex d. l. 26. generalem regulam contrariam volunt elicere, cum in d. l. generalitas nulla inveniatur, quod arguit vocabulum *ſæpiſſime*; & adhuc gravius peccant, qui d. l. 39. tum volunt intelligi de caſu, quo præſens contra abſentem reſtituendus eſt: nimiam enim vim ipſi inferunt.

[q] arg. l. 39. h.
[r] l. 16. princ. ff. de minor.
[ſ] d. l. 16. ibi: extraordinarium.
[t] in d. l. 39.

Dr. denique *ad hoc, ut reſcindatur uſucapio, & res, quaſi nunquam uſucapta reſtituatur.* Ad hæc duo itaque tendit hæc actio, quod apparet ex illis ll. quas allegavimus, cum in explicatione nominis hujus actionis, duplex judicium improbavimus. Ita videlicet obtinet in omnibus reſtitutionibus in integrum, non ſolum in quibus res amiſſa, reſciſſo negotio, reſtituitur officio prætoris [u], ſed &, in quibus reſtituitur vi ſpecialis actionis [x]. Ita ut unum ubique ſemper ſit judicium, & quidem in poſterioribus tota reſtitutio per actionem competentem peragatur [y].

[u] l. 24. §. ult. de minor.
[x] l. 14. §. 1. ff. quod. met. cauſ. l. 1. §. 1. de dol. mal. l. 1. ff. de alienat. judic. mut. cauſſ.
[y] l. 9. §. 7. & 8. quod. met. cauſ. l. 18. in princ. §. 1. ff. de dol. mal. l. 1. ex quib. cauſ. maj.

CAP. VIII.

Nunc porro inquirendum in reliquas actiones ex eodem fonte, ſcil. in tres illas actiones præjudiciales: quarum prima videnda denominatio; & alia, quæ omnibus ſunt communia, quam ſingularum proprietates inveſtigemus.

Actiones præjudiciales alibi [a] præjudicia dicta, exinde ita appellantur, quod ex profeſſo inſtituantur aliis actionibus neceſſariò præjudicii faciendi gratia, & quidem etiam inter alias perſonas, inter quas eadem de ſtatu eodem quæſtio incideret. Hoc ipſum illud eſt, quod ſpeciale eſt in his actionibus [b]; alias res inter

[a] l. 18. ff. de probat. & præſumpt. l. 1. § 2. de R. V. l. 37. de O. & A.
[b] vid. l. 25. de ſtat. hom.

ter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

ter alios judicata, aliis non ſolet præjudicare[*]. Horum præjudiciorum exempla vid. in diverſis locis[c]. Errant itaquè, qui eorum denominationem ex eo derivandam putant, quod aliis in ordine cognitionis præferantur, vel quod aliis quandoque præjudicium faciant: quod utrumque non ſolum hic, ſed & in multis locum habet[d], & tamen nunquam dicuntur præjudiciales.

De hiſce actionibus ulterius quær. an ſint reales, an perſonales? & putamus, quod ſint reales & quidem ex dominio quodam, quod, licet in una ſpecie clarius eluceat, quam in altera, omnium tamen fontem eſſe, liquebit recte conſideranti. Nec obſt. §. 13. Inſt. de Act. ibi: *videntur*: nam ita etiam de mixtis Actionibus quidem dicitur[e].

Sunt porro hæ actiones tales in quibus uterque actor & Reus eſt, id eſt in quibus uterque idem jus habet. Quiſnam autem probationis difficultatem debeat hic ſuſtinere, vid. in l. 7. §. ult. ff. de liber. cauſſ: quæ lex (agens de ſtatu libertatis) imponit ibi onus probandi ei, qui ex ſervitute proclamat ad libertatem & ei qui ex libertate aliquem ad ſervitutem petit, ex generali videl. omnium actionum natura[f]: lex enim ex eadem conſideratione, quam habet Tribon.[g] præſupponit illos, actores, & adverſarios non: quare enim dominus ſeſe actorem declararet contra eum, quem in ſervitute detinet, ad eum vindicandum, & ille, qui in poſſeſſione libertatis eſt, adverſus eum, qui illam turbat? adeo ut, ſi nihilominus ille, qui exiſtit in poſſeſſione libertatis, velit ſeſe actorem ſiſtere contra eum, qui ſervitutem ejus vindicat, ad inſtar actionis negatoriæ, abſque omni dubio, ad exemplum iſtius actionis, onus probandi ſuſtinere debeat: primo generaliter[h], dein ſpecialiter[i], denique ad exemplum aliarum actionum duplicium[k]. Nec obſt. quod hic actor ſit poſſeſſor, quodque ei non ſit actio prodita, per quam neget rem alterius eſſe[l]: verſamur enim hic etiam in *controverſiis rerum incorporalium*, in quibus ita quidem proceditur[m]: adeo ut ex d. §. 2. debeat explicari d. §. 4.

Ita quoque receptum fuit circa ſtatum ingenuitatis[n]: & ex eâdem d. legis. 14. ratione in fin. ibi: *cum nulla captio* &c. concludimus, idem poſſe locum habere in patrono, ſi velit agere contra libertum, quem tamen poſſidet tanquam libertum, id eſt dum ipſi quotidie præſtat libertinorum officia. Hæc etiam ad tertiam præjudiciorum ſpeciem jure poſſunt applicari.

[*] *l. 63 ff. de Re Iud. l. 10. ff de except.*

[c] *in l. 1. §. ult. l. 2. l. 3. ff. de agnoſ. vel al. lib.*

[d] *vid. l. 54. ff. de judic. l. 8. §. penult. de inoff. teſtam. l. 16. l. 18. l. 21. de except. l. 5. §. ult. ff. l. ult. C. de petit. hered.*

[e] *§. 20. Inſt. de Act.*

[f] *l. 4. C. de edend.*

[g] *in §. 4. Inſt. de Interd. ibi:* & quia longe commodius eſt &c.

[h] *ex d. l. 4. C. de edend.*

[i] *ex l. 12. ff. de except.*

[k] *ex l. 13. ff. de judic. d. § 4. Inſt. de Interd. ibi:* ſi modo actor.

[l] *§. 2. Inſt. de Act. & d. §. 4. Inſt. de Interd. ibi:* naturalis & civilis ratio.

[m] *concedente d. §. 2. ibi:* in controverſiis rerum corporalium.

[n] *l. 14. ff. de probat. & præſumpt. in fine ibi expreſſe:* & non abs re eſſe opinor &c.

CAP.

CAP. IX.

Nunc ad ſingulas actiones ſpeciatim nos conferamus. Prima ſpecies actionum præjudicialium eſt circa libertatis, ſecunda circa ingenuitatis ſtatum, tertia circa jus familiæ [a].

Circa primum ſtatum datur actio præjudicialis domino adverſus ſervum, liberum ſe eſſe contendentem: & ſervo adverſus dominum, libertatem ipſius turbantem, ad hoc ut cuique id, quod ſuum eſt, aſſignetur.

Agunt hi actores ex dominio, quod in priori conſpicuè apparet, ſcilicet in domino, qui ſine dubio, ad vindicandum ſervum, ex dominio ſuo agit: in poſteriori, ſi non dominium, ſaltem jus aliquod elucebit, quod nulli quam dominio propius: ſervus enim habet hic pro fundamento ſuæ actionis, libertatem ſuam; quæ, ſi recte concipiatur, nihil eſt, quam facultas agendi pro mera libertate voluntatis, ortæ, non per metum, ut in ſervo, ſed ex liberrimis mentis contemplationibus. Hoc jus, cui juri (cum nullum ſit, niſi vel in re, vel ad rem [b]) adſcribemus? jus in perſonam ad minimum ſupponit duas perſonas, unam obligatam, & alteram in qua obligatio illa radicetur, quod procul hinc: neceſſario ergo juri in re, & quidem dominio; nam propriè eſt jus, quo voluntas quaſi eſt noſtra, quoque liberè ſecundum ejus volitionem poſſumus agere: ex quibus concludimus has actiones eſſe reales. Nec obſt. quod hic nulla fiat reſtitutio, quæ tamen in actionibus in rem propriè dictis locum habet [c]: nam, præterquam quod hæc non ſit vera norma, ſecundum quam determinetur, an actio ſit realis an perſonalis (ut ſupra dictum) ſi non vera, ſaltem quaſi reſtitutio hic locum habet: dominus enim dum alter declaratur liber, videtur libertatem, quam turbando, quaſi poſſidebat, reſtituere quaſi.

Ut autem harum actionum natura perfectius intelligatur, conferantur cum actionibus, confeſſoria & negatoria, quibus ſunt ſimillimæ.

Notatu porro dignum hoc eſt, quoniam hæc quæſtio de ſtatu libertatis erat maximi momenti, Romanos ejus cognitionem non cuilibet magiſtratui conceſſiſſe [d].

Quidnam denique ſpeciale in hoc judicio obtinuerit ratione ſervi, jure v. & n. vid. alibi [e].

a §. 13. *Inſt. de Act.*

b §. 1. *Inſt. de Act.*

c *l.* 9. *l.* 68. *ff. de R. V.*

d *l.* 3. *C. de judic.*

e *in l.* 1. *& ſeqq. ff. de liber. cauſſ. & t. t. C. de aſſert. tollend.*

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

Cap. X.

Secunda ſpecies actionum præjudicialium ex ordine Juſtiniani[a], eſt de ſtatu ingenuitatis, de quo datur præjudicium patrono adverſus libertum, negantem ſe eſſe libertum, & Liberto adverſus Patronum, ſe ingenuum abſolute, vel ſaltem reſpectu rei, profitenti[b]. Primus hic rurſus agit ex dominio, vel, ſi quem id offendat, ex jure aliquo dominio proximo: nam, licet libertus non fuerit ita ſubjectus Patrono, ut quidem ſervus domino, debuit tamen ipſi præſtare plurima, ſane non contemnenda[c]: cumque id jus Patronatus fuerit inter patroni bona numeratum[d], hinc colligas, neceſſariò id fuiſſe in rem vel perſonam[e]: non autem potuit fuiſſe in perſonam, nulla enim hic erat obligatio, Civilis ſcil. ex contractu vel maleficio: ergo debuit neceſſario fuiſſe conſideratum tanquam jus aliquod in re; & quidem dominio proximum, ſi collatio inſtituatur.

Et ex eodem fonte agit quoque Libertus è contrario (eodem ſcil. jure, ex quo in ſuperiori actione agebat ſervus, quod ibi ſatis detectum) vel ſaltem agit ex dominio aliquo (ut dicam) reſpectivo. Prius alludit ad Libertum, negantem ſe ullius libertum; poſterius ad Libertum negantem ſe ad minimum adverſarii Libertum.

Quær. hìc DD. an hæc actio utiliter detur dominis feudi contra vaſallos noſtri temporis, qui nolunt jus Domini agnoſcere? & neg. D D. comm. ſtatuentes, Dominum eo caſu poſſe feudum tanquam commiſſum auferre.

De reliquis, quæ huc poſſunt applicari, in explicatione ſuperioris actionis commemoratum eſt.

Conferamus nos ad tertium præjudicium.

a *in d. §. 13.*

b *d. §. 13. l. 14. l. 18. ff. de prob. & præſumpt.*

c *quæ vid. in tit. ff. de jur. patron. & tit. ſeq.*

d *arg. tit. Inſt. de aſſign. libert.*

e *l. 49. ff. de V. S.*

Cap. XI.

Tertia præjudicialis actio verſatur circa jus familiæ[a]: ſub verbis autem dicti §. 13. ibi: de *partu agnoſcendo*, duæ latent quæſtiones; una, quæ inter patrem, & filium, altera, quæ inter ma-

a *d. §. 13. Inſt. de Act.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

ritum & uxorem vertitur. Hæc propriè dicitur de partu agnoſcendo, & tractatur alibi [b]: illa magis propriè circa jus familiæ verſatur, ideoque prius à nobis examinabitur.

b *in l. 1. ff. de agnoſc. vel al. lib.*

Datur ergo de jure illo actio præjudicialis, primò inter patrem & filium; & quidem patri adverſus filium, negantem vel affirmantem ſe ejus filium: deinde filio adverſus patrem, negantem vel affirmantem ſe ejus patrem [c]: neque etiam heterodoxum debet videri, quomodo inter patrem & filium potuerit locum habere quæſtio de ſtatu familiæ: arguunt enim id ſatis frequentes, quæ apud Romanos obtinebant, arrogationes, & adoptiones (indeque frequentes quæſtiones, an eædem eſſent juſtæ): arguit hoc patria ipſorum poteſtas, qua ſæpè pater volebat ſibi habere ea, quæ acquiſierat filius [d]: aliquando ab ipſo alii deſiderabat [e]: hincque notabile hoc eſt, quod hìc uterque Actor agat in caſum duplicem, cum in ſuperioribus præjudiciis tantum egerit in unum caſum, videlicet dominus adverſus ſervum, negantem (non quoque affirmantem) ſe ejus ſervum, & ſervo adverſus dominum affirmantem (non etiam negantem) ſe ejus dominum, & ſic de cæteris. Ratio differentiæ hæc eſt, quia *patrem eſſe*, non tantum involvit commodum, ſed etiam incommodum, & ſic etiam *filium eſſe*: nam præter illa commoda, quorum jamjam commemoratio facta eſt, hoc quoque obſervandum; quod parens filio non pauca etiam debuerit: cogebatur ille hunc quoque alere [f]: adeo quidem, ut, qui hoc negavit, necare viſus fuerit [g]. Erat hic quoque illius ſuus heres, & quodammodo dominus bonorum ipſius viventis [h]. Aliud ergo longe erat in ſuperioribus actionibus, ubi *dominum eſſe* nihil involvebat quam commodum, & *ſervum eſſe* nihil, quam incommodum: quiſnam ibi ageret ad hoc, ut alicujus ſervus declaretur, & è contrario, ut quis declaretur alicujus non dominus?, & ſic de cæteris.

c *l. 1. §. 12. & 13. l. 5. ff. de agnoſc. & al. lib. l. 3. 1. eod. l. 1. §. 2. de R. V.*

d *Hanc poteſtatem habebat, teſte §. 1. Inſt. per quas. perſ. cui. acquir.*

e *l. 5. princ. & §. 2. de agnoſc. vel alend. lib.*

f *d. l. 5. §. 2. de agnoſc. vel alend. lib.*

g *l. 4. eod.*

h *§. 2. Inſt. de hered. qual. & diff. §. 3. Inſt. de hered. qua ab inteſt.*

Agunt rurſus hi actores ex eodem fonte: & quidem pater, affirmans aliquem eſſe ſuum filium, ex patria ſua poteſtate, id vero negans ex jure libertatis. Filius, affirmans ſe cujuſdam filium, agit ex jure, quod quaſi habet in patrem, id vero negans, rurſus ex libertate ſua: uterque ergo negans, agit ex ſimili principio, ex quo ſupra ſervus, negans ſe eſſe ſervum, & Libertus, negans ſe eſſe Libertum, agebant.

Quibuſnam autem hic injuncta ſit probandi neceſſitas, colligas ex ſupra jam jactis fundamentis.

Por-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

Porro opportunè hic quær., an is, qui aliquem per annos quoſdam b. f. ut filium poſſedit, fructus, qui à poſſeſſo ad poſſeſſorem redundarunt, cum reliquis in b. f. poſſeſſoribus[i], ſuos faciat? & Reſp. quod non[k]; & ratio, cur diverſum obtineat in libero homine, tanquam ſervo, bona fide poſſeſſo[l], redditur in d. l. 44.

i *l. 48. ff. de A. R. D.*

k *arg. l. 50. ff. de acquir. vel omitt. poſſ. l. 44. ff. de uſurp. & uſucap.*

l *princ. Inſt. per quas perſon. cuiq. acquir.*

Cap. XII.

Sequitur actio de partu agnoſcendo propriè dicta, quæ datur mulieri, ſoluto matrimonio, contendenti partum legitime editum ex eo, qui maritus fuit, adverſus maritum, negantem illam ſuam fuiſſe uxorem, vel ſaltem, partum eſſe legitimum, ad hoc, ut partus agnoſcatur[a]. Quær. hic ergo, an partus ſit filius & in poteſtate, qua ſublata difficultate, præjudicatum eſt quæſtioni de alendi onere, & ſimilibus.

a *l. 1. ſ. quemadmodum. ff. de agnoſc. & alend. lib.*

Agit mulier hic rurſus ex jure, quod, mediante partu, habet quaſi in maritum. Cum ergo hæc actio detur tantummodo uxori, affirmanti, partum legitimè eſſe editum ex adverſario, hinc colligas, non dari illam uxori neganti, nec etiam marito, qui de eo poſtea cum ipſo partu debet agere: atque ex illis elicienda differentia eſt inter hanc & ſuperiorem actionem.

Tandem quær. ad dentur plures præjudiciorum ſpecies, quam quarum jam mentionem fecimus? & Reſp. quod non[b]. Obſtat. l. 3. ſ. 4. h. Reſp. quæſtio de partu agnoſcendo in ſe continet quæſtionem, an mulier fuerit uxor. Obſt. l. 30. ff. de reb. auct. jud. poſſ. Reſp. loco *præjudicio* legendum *per judicem*, quæ lectio confirmatur ſequentibus verbis, *& fruſtra principem*: & tum demum ſanum ſenſum poſſidet, cum videlicet omnis difficultas occaſione diſtractionis bonorum debitoris tollatur per judicem[c]. Et quorſum ſane debitor hic ageret tali actione præjudiciali, quales jam delineavimus? neque præterea τῷ *præjudicio agere* ullo reſpectu poteſt opponi τῷ *implorare principem*, quod tum fieret.

b *arg. d. ſ. 13. Inſt. de Act.*

c *arg. t. t. de reb. auct. jud. poſſ. vel vend.*

Si factum eſſet, Q. E. F.!

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

COROLLARIA.

I.

In ſtatu Naturæ (quem imaginantur) poteſt concipi furtum.

II.

Humana φιλαυτία *vergit ad* Societatis Civilis *detrimentum ſæpius, quam utilitatem.*

III.

Ut Lex ſit Lex, nullo modo requiritur æquitas.

IV.

Poſſeſſio eſt jus in re: cumque quædam interdicta ex illo fonte oriantur, dici debent realia.

V.

Datur mere Civilis obligatio.

VI.

Nulla datur literarum obligatio.

VII.

Exceptio non numeratæ pecuniæ ſimplex, poſt biennium opponi non poteſt.

VIII.

Venditor rem venditam præciſe tenetur tradere.

XI.

Actionum Cumulatio Iure Civ. non plane fuit ignorata.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 174